



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 1. De Officio Defunctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

ribus quibusdam Bruxellensibus pro earum precibus; monebat autem Dominam Ulierdensem, ut testamentum suum incolumis faceret, ne in articulo mortis eo condendo occuparetur, sed soli Deo tum vacare posset. Petivit insuper à fratre, uxori ut nuntiaret ut cum filiis suis omnem excoletet concordiam, ne & illi aliquando contingat, quod & sibi. Rogatus de statu aliquorum defunctorum, respondit se nihil aperire posse, quia à Deo sibi non esset concessum, hoc tamen ut pro talibus sine intermissione orarent. Demum actis tam ancillæ, quàm omnibus aliis, qui pro se oraverant, gratias, suam vicissim operam illis promittens, cum magno splendore junctis manibus in cælum perpetuò beatus ferebatur. Hæc Brendebachius, sanè ad mores Christianorum pietate informandos accommodata.

1038. Denique peregrinatio ad S. Levini in
Peregrinatio ad S. Levini. Arthesiæ pagum, qui Marqué dicitur, nec longè distat à Renty, celebris est ob suppetias defunctis sapiùs latas. Porro dum apparet spiritus, & hancce peregrinationem exigit, illicò properandum est, & Missa in æde S. Levini istuc facienda. Et longi tēporis experiētiā compertum est, quod sub jicio. Dum peregrinus ad crucem accedit, quæ quartâ leucæ parte ab æde dissita est, derepente tantopere se premi sentit, ut toto corpore sudorem emittat, cum periculo lapsûs ob debilitatem. Quæ gravitas eò usque persistit, dum munus suum Divo obtulerit. Tum verò alacritas redit, ac facilitas ad sua remeandi. Nonnumquam obtingit, ut ab ipso itineris ac peregrinationis exordio ea gravitas peregrinum affligat, quò usque ad pagum ipsum provenerit, quo tempore spiritus hominem premere cessat. Subinde sudario involutus eun-ri ad ædem præit, ac genibus flexis sacrificio interest, dum postrema benedictio populo adstanti impertiatur. Ac tum temporis veniam à peregrino pro oppressione illa flagitat, gratiasque agit pro officio charitatis. Quæ omnia jurati plures peregrini post sumptam Synaxim affirmavere, feruntque hoc eodem officio piis manibus N. Belleri Typographi Audomarensis, ac Bibliopolæ, antehæc postrema cum Gallis bello præstito, cum omnibus qui in templo illo præsentibus aderant, atque orabant, gratias rependisse. P. le Clerc, in vita ejusdem sancti.

ARTICULUS V.

De variis precum pro defunctis generibus.

PRIMAS iniis merentur orationes, quæ ab Ecclesia, atque adeò Spiritu Sancto, cujus afflatu moveretur, ac regitur, sunt institutæ. Propterea dum Venerabilis P. Petrus Faber, primus è Sancti Ignatii sociis, vir admodum pius, pro defunctis orabat, quod frequenter faciebat, ejusmodi preces usurpabat. Porro officium defunctorum, ac septem Psalmi pœnitentiales, nominatimque Psalmus de profundis, longo jam usu ab Ecclesia frequentantur, de quibus pauca pro instituto meo nunc dicenda.

1039.
Orationes Ecclesiæ.

§. I.

De officio defunctorum.

OFFICIUM defunctorum jam inde ab Apostolorum tempore ab Ecclesia usurpatum esse colligitur ex Dionysio Arcopagita de Eccles. Hierar. cap. 7. Ab Origene auctum fuisse testis est Augustinus in Enchiridio. Quis verò author sit illius, prout nunc extat, incertum: Aliqui Augustino, aliqui Amalario tribuunt. Responsoria composuisse traditur Mauritius Episcopus Parisiensis, quem obiisse anno salutis 1196. testis est Alcuinus. Nonnullas orationes addidit Pius V. Nonnullas Clemens VIII. vide de his Gavantum, & alios.

1040.
Officium defunctorum antiquum.

Porro Carthusiani quotidie illud officium pariter concinunt. S. Antoninus, etiam Archiepiscopus, quot diebus idem recitabat. Idem curæ erat Melchiori Mosticensi ordinis Prædicatorum: tametsi acriter, perpetimque quæ privatâ, quæ publicâ autoritate in hæreticos Poloniæ pugnans miras illi Regno opportunitates afferret. Idem faciebat quidam Laurentius Rattus, musicus Romæ insignis, de quo ita narrat Janus Nicius. Anno Domini 1604. mense Decembri, cum annos natus 14. etiam tum esset in contubernio Vincentii avunculi, pridie diei natalis Deiparæ Virginis summo mane missus est ad furnarium, ut panes afferret in prandium. Exe-
unt ab æde sacrâ ejusdem Virginis, quam vocant in montibus, quò orandi causâ intraverat, fit obviam formâ egregiâ juvenis, qui, *Tibi Laurenti,* inquit, *omissis cæteris*

1041.
Officium defunctorum additum.

„ceteris curis properandum est mecum ultra
 „pontem Milvium defuncti cuiusdam se-
 „peliendicauſa. At Laurentius modeſtè ex-
 „cuſauit avunculi imperium, à quo mitteba-
 „tur ad furnum. At Ille non acepit excu-
 „ſationem. *Sed veni, inquit, novi enim pie-
 „tatem tuam, & ſtudium in Beatam Virgi-
 „nem, quæ colitur in monte Carmelo.* Puer
 „audito B. Virginis nomine ſpondit illi
 „operam ſuam: ſub hac tamen conditione,
 „ſi veniam ab avunculo impetraret, *Nugas*
 „*agis, inquit adoleſcens, id nunquam ab eo*
 „*impetratum reſeres.* *Fam tibi, puer, ait,*
 „*morem geram, ſed libera mea operam ſit,*
 „*curriculo domum abibo, ibique teſſeram hanc,*
 „*quam gero, deponam: ut lubet,* inquit, ado-
 „leſcens, *Ego te hic manebo.* It puer, domum
 „venit, veſtimenta, quibus tegebatur, exuit,
 „trita atque obſoleta alia induit, cæterarum-
 „que rerum oblitus, ac vix ſui compos, cum
 „acu, & filo culcitram ſumit, ſeque ad ado-
 „leſcentem celeriter recipit. Eunt igitur
 „taciti unâ in viâ, atque ſemiquadrantis ho-
 „ræ curriculo trium ferè millium iter emen-
 „ſi, arundinetum intrant, milliarii unius in-
 „teruallo à ponte Milvio diſjunctum, ubi
 „mulieres aliquot eximia pulchritudine, &
 „ætate integrâ, ignoti cuiuſdam cadaver in
 „loculo poſitum circumſtabant, quarum
 „Domina atque magiſtra videbatur eſſe
 „una, formâ ita elegantî, ita venuſtâ, ut ni-
 „hil ſupra: quæ libellum officii B. Virginis
 „à puero dari ſibi popoſcit, acceptumque
 „tradidit adoleſcenti, qui fuerat dux & co-
 „mes itineris, eumque recitare juſſit illa Jo-
 „bi capita in officio defunctorum appoſita.
 „*Parce mihi domine.* Ac mulieres unâ cum
 „puero reſponſoria ſingulis capitibus adje-
 „cta funebri cantu proſequebantur, quibus
 „expletis, quæ mulier erat cæteris venu-
 „ſtior, ut diximus, ſubſequentibus, & adju-
 „vantibus cæteris, cæpit precationem illam
 „funebrem præcinere. *Subvenite Sancti*
 „*Dei:* atque eadem opera ſcrobem effode-
 „re, in qua mortuum collocarunt, humo que
 „texerunt. Quo factò mulier ad puerum
 „converſa, *Contine te, inquit, in hac tam*
 „*laudabili conſuetudine recitandi mortuo-*
 „*rum officium; erit enim, ſi uſus veniat, ut*
 „*tu eiſdem ſuffragiis adjuveris, quibus iſte à*
 „*nobis ſublevatur.* His diſtis evolarunt
 „omnes ab oculis, nec quiſquam viſus eſt
 „amplius, imò ne foveæ quidem, quam fo-
 „derant, veſtigium ullum apparuit. Lau-
 „rentius alienatâ mente aliquamdiu cum
 „tortuoſis arundineti illuſ ſemitis, vel po-
 „tius labyrinthæis flexibus luſtratus, demum
 „in viam publicam exiit, & aliquanto poſt
 „Tiberis ripas, & Milvium pontem agnovit.
 „Sed cum ex culcitra, quam ad arcendos ſo-

lis calores attulerat, umbraculum texit, ve-
 nere illi in mentem omnia quæ ab avuncu-
 lo in mandatis habuerat, cæpitque ſe ocys
 movere. Ita Nicius Erithræus.

Cæterum idem ſubſidii multum piis ma-
 nibus prodeſſe confirmavit quidam Mo-
 nachus S. Oſualdi Episcopi Vigornienſis in
 Anglia diſcipulus. Is ex ædificii, quod
 ſtruebatur, culmine delapſus, è veſtigio
 exſpirat. Quæ res cum piſſimum Ma-
 giſtrum graviter affeciſſet, etiam commo-
 vit, ut aliis Monachis preces pro eo indi-
 ceret, maxime quòd vitâ functus parum
 religioſam duxiſſet vitam: Ergo noctes ali-
 quas impendere decantando officio de-
 mortuorum ad tres lectiones contracto, ad
 placandam illi Numinis juſtitiam, nec fru-
 ſtra: nam per unam ex iis noctibus, Epif-
 copo defunctus ſpectandum ſe exhibens,
 ac rogatus quis eſſet, eum ſe eſſe dixit, pro
 quo preces fundebantur. *At quo locores*
tuæ, ſubjecit Præſul: Priùs quidem, inquit,
peſſimo: at nunc, Deo laus, optimo, Deus
enim veſtris precibus flexus ad miſericor-
diam, Angeli Cuſtodis operâ purgantibus
flammis me aſſeruit: Qua de re grates vo-
bis plurimas ago, ac tibi ſignifico huius cha-
ritatis, ac aliorum bonorum operum cauſa,
te Deo eſſe percarum: quo dicto ex oculis
 evanuit. In vita S. Oſvaldi.

§. 2.

De pſalmis pœnitentialibus.

SEPTEM ſunt ſatis vulgati, ita dicti à
 pœnitentia, quam & David per eos de-
 monſtravit, & quiſque reus iis auditis fa-
 cile concipere poteſt, eaque conceptâ Nu-
 men ad miſericordiam inflectere. Quare
 merito illos Eccleſia ejuſque filii uſurpant
 pro defunctis, quibus utique ejuſdem Nu-
 minis miſericordiam invocant. Quod eò
 pronius obtinere poterimus, quò ampliori
 de noſtris eorumque criminibus cum mee-
 rore, ac luſu defunctorum perſonam ſuſ-
 ceperimus, & eorumdem nomine plera-
 que pſalmorum carmina, quæ illis accom-
 modari poſſunt, pronuntiaverimus. Cæ-
 terum inter eos defunctis potiſſimum ad-
 dicitur *Pſalmus de profundis:* quia ut Va-
 lentia, Genebrardo, Bellarmino, Lorino,
 aliisque placet, ex mente ſaltem Spiritus
 Sancti, ſpectat ad Patres limbo detentos,
 qui de terrarum profundis erui optabant,
 atque adeò ſpectat etiam ad pios manes, vi-
 cino, ſed haud paulò graviore carcere in-
 cluſos, quorum deſiderium libertatis longè
 quoque vehementius eſt. Audi illud ex
 ſubjectâ

1042.
 Alia ejus
 generis.

1043.
 Valent ad
 placandum
 defunctis
 Deum.